

Sed tantum damnari noxiam & improvidam sciendi curiositatem, ac divertentem à divina providentia, vel cum ope diabolica conjunctam. Sicuti ipsi dicti Autores subinde in antecedentibus & consequentibus suis dictis scriptisque sublimant, neque omnem naturalem rerum scientiam pervertere volunt. Et hinc bene *superstitiosam* illam à *physica rationalis Astrologie* distinguit Zæsius ad *Decretal. lib V. tit. 21. n. 9.* Et inde *Tepatus Compend. Decision. P. I. tit. 40, cap. 2.* ait: *Astrologia tunc esset prohibita, quando quis in ea uteretur incantationibus & divinationibus diabolicis, vel prædiceret ex certa scientia, imponens necessitatem futuris contingentibus per cursum astrorum; alias secus.* Conf. *Wolf. in Part. I. Relect. Memorab. p. 796. sqq.* Sub eadem declaratione, remotis dubiis, scientiam hanc & exercitium Astrologicæ prædictionis defendunt *Grilland de Sortileg. p. 165. n. 13. 14.* item *Gonzalez Comm. Decretal. ad cap. I. X. de Sortileg. n. 5.* Atque imprimis notarimerentur ea, quæ *B. Struvius in Jur. Sacr. Justin. s. progymnasmat. ad Cod. ad. l. 10. C. de Episc. and. ex Guil. Forstero* refert sequentibus verbis, post alia: *Quid ergo? Mathematica purè & simpliciter damnabilis & interdicta? Mathematicus indistincte cruciatus & tormenta patiatur? Capitali sententia feriatur? absit.* Scio, quod *Astra non sint colenda Deuteron. IV. v. 19. & XXIX. v. 26.* Scio, quod *Deus astra regat. Hiob. XXXII. v. 31. sqq. Genes. I. v. 14. Jud. V. v. 20.* Scio, quod *quærendus sit opifex Plejadum & Orionis, qui & mutat in matutinum densissimam umbram, diem nocte obtenebrat. Hamos V. v. 8.* Sed nolo *disputationem in me derivare, quam habent hac de re Theologi Mathematicique. Videndum modo, an pure, simpliciter & indistincte, Mathematici sint expellendi, fugandi, capitaliter puniendi, vi vigore Constitutionum Imperatoriarum? & nolim adhuc asserere.* Dixerim, *Mathematicam Impp. intelligere vanas quasdam & curiosas nimium perquisitiones & observationes ad magiam procliviores; & Mathematicos damnare, non Mathematicos, uti distinguit hæc Gregor. Tholosan. L. 34, Syntagm. cap. I. & intelligere*